



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

IV. Pacificam posse fieri compositionem super decimis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

tio postulauit, te vel quemlibet alium audire & exaudire nulla ratione possumus, nisi manifeste vellemus obuiare iustitiæ, & prædecessorum institutis contraire, ne videamur religionem perfequi: quam si forte non habemus in nobis, in iis diligere & fouere tenemur. Cautum siquidem in scriptis prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum habetur, quod religiosi viri ab exactiōe decimarum de laboribus, quos propriis manibus vel sumptibus colunt, & de nutrimentis animalium suorum prorsus erunt immunes. Sed piæ recordationis Hadrianus papa prædecessor noster labores in noualia pro sua voluntate conuertit. Illud etiam debet nos a tuæ petitionis effectu retrahere, quod in veteri testamento non vsquam legisse recolimus, vt Leuitæ Leuitis decimas persoluerint: imo sicut tua discretio non ignorat, non ambigimus esse statutum, vt ecclesiis illis decimas persoluant, vbi ecclesiastica sacramenta percipiunt. Vnde Apostolus: *Non est magnum si metimus temporalia, vbi spiritualia seminauimus.* 1. Cor. 9. Non graue tibi sit, sicut esse non debet, si ratione diuinæ scripturæ & honestate nostra pensata, petitionem illam, quantumcumque te diligamus, & sicut carissimum fratrem nostrum defendentes, non duximus admittendam. In nullo patereris repulsam, quod secundum iustitiam fieri a nobis postulares.

CAP. IV. *Idem.*

Suggestum est nobis ex parte tua, quod abbas & fratres de ^{*}Vrsitun decimas auferre conantur, & alia damna & grauamina vobis irrogare non cessant. Quia non decet honestatem siue religionem monasticam litibus & contentiōibus intendere, discretioni vestræ per A. S. monendo consulimus & hortamur, quatenus cum prædicto abbate & fratribus super decimis ipsis & aliis, vnde inter vos est controuersia, pacifice conueniatis, ne pro huiusmodi contentiōibus fama vestræ religionis valeat denigrari. Nam quando ordini vestro Romana ecclesia priuilegia de decimis dederat, domus vestræ ita erant raræ, quod exinde nulli poterat de iure scandalum suboriri. Sed per gratiam Dei nunc sunt in tantum augmentatæ & possessionibus ditatæ, quod multi viri ecclesiastici de confinibus vestris apud nos querelam sæpe deponunt.

Dddd iij